



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 54. Sugerii Abbatis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

suis calumniis occupavit. Convictum Sæcul. XII.
A.C. 1151.
tenemus & ex parte etiam confessum,
quod tibi quoque non nunquam Epistolas
spurias scripserit. Quod spectat ad ce-
tera perfidi capitis flagitia, modo in to-
ta regione vulgata, & scribere erube-
sco & oculis tuis parco. Si ad te vene-
rit versipellis, jactitat enim Romæ sibi
amicos esse, memineris Arnaldi Brixien-
sis, quippe iste longe pejor est illo. Nemo
Nicolao dignior perpetuo carcere, in quo
perpetuo damnetur silentio, unquam fuit.
Nicolaus in varias Regiones delatus tan-
dem in Monasterium Ramejense, ubi
primo monachum induerat, se recepit,
ultraque annos viginti quinque superstes
fuit.

§. LIV.

Sugerii Abbatis obitus.

Sub idem tempus S. Bernardus, accepto
nuncio, quod Sugerius Abbas morti
proximus decumberet, data ad eum E-
pistola, fraterno affectu & pietatis sensu ep. 266.
plena, ad mortem forti animo obeun-
dam hortatur, dicitque, se vehementer
cupere, eum invisere, & a morituro be-
nedictionem accipere.

Sugerius, ubi morbo tentari cœpit,
ad Capitulum se deduci petiit, ubi cum Mabil. ad
ep. 266.
breviter ad Fratres dixisset, singulorum
pedibus advolutus condonari sibi inter

Sæcul. XII.
A.C. 1152.

lacrymas rogavit errores omnes, quibus eos offendisset, cui & ipsi lacrymas non tenentes facile annuerunt. Obiit deinde decima tertia Januarii, anno salutis humanæ millesimo centesimo quinquagesimo secundo, ætatis suæ septuagesimo, Abbatialis Regiminis vigesimo nono. Defuncti exequias Episcopi sex, complures Abbates, & Ludovicus Rex junior, flets amare, condecorarunt.

§. LV.

Rex Ludovicus ab Alienora separatur.

Eodem anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo, decima octava Martii, Feria tertia ante Festum Paschæ *floridi*, id est Dominicæ Palmarum, quæ jam tunc ita dicebatur, Balgentiaci celebratum est Concilium, cui interfuere Archiepiscopi quatuor, Hugo Senonensis, Hugo Rotomagensis, Samson Remensis, & Lanfredus Burdegalensis, cum multis Episcopis & Abbatibus. Archiepiscopus Senonensis Ludovicum Regem & Reginam Alienoram convocaverat, ut de valore matrimonii inter ipsos sententia proferretur; quippe affirmabant aliqui, affinitatem adeo propinquam intercedere, ut matrimonium valere nequiret. Ergo in Concilio steterunt testes,